



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De mutua charitate Sanctorum in cœlis, 35

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT XXXV.

De mutua charitate Sanctorum in caelis.

1. **C**or humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas & miseras, imo obrutum miseriis, quantum gauderes, si in his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe, si quis alius, quem omnino sicut teipsum amares, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum: quia non minus gauderes pro eo, quam pro teipso. Si vero duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis, quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. Ergo quid erit in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum, ubi nullus diliget alium minus quam seipsum? Non enim aliter gaudebit unusquisque pro singulis aliis, quam pro seipso.

2. Si ergo cor hominis de tanto bono suo vix gaudium suum capiet, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utique, quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet. Et sicut in illa beata foelicitate unusquisque sine comparatione plus amabit Deum, quam se, & omnes alios secum: ita plus gaudebit absque æstimatione de foelicitate Dei, quam de sua, & omnium aliorum secum. Et si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima; ut tamen totum cor, tota mens, tota anima,
non

non sufficiat dignitati dilectionis: profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima; ut tamen totum cor, tota mens, tota anima, non sufficiat plenitudini gaudii.

C A P V T X X X V I.

De pleno gaudio vita aeterna.

I. **D**Eus meus, & Dominus meus, spes mea, & gaudium cordis mei, dic animæ meæ, si hoc est gaudium, de quo nobis per Filium tuum dicitis: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Inveni namque gaudium quoddam plenum, & plusquam plenum: pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine, gaudio illo adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium illud.

2. Dic Domine, dic servo tuo intus in corde meo: si hoc est gaudium, in quod intrabunt servi tui, qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed certe gaudium illud, quo gaudebunt electi tui, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Nondum ergo cogitavi aut dixi, Domine, quantum gaudebunt electi tui. Vtique tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum cognoscent. Et quantum te, Domine, cognoscent, quantum te amabunt? Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita, quantum te cognoscent & amabunt in illa vita.

Q

3. Oro